

www.e-rara.ch

Examen theoretico-practico-medicum plantarum nasturcinarum

Zwinger, Theodor

Basileae, 1714

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: NB 1100

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28991>

Caput III.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

indigitavimus. Si earundem manipulum cum dimidiâ uncia *Baccarum Juniperi* contusarum in mediâ *Vini albi* boni mensurâ coquas, atque hinc de *Vino* hoc mane ac vesperi quatuor uncias calefactas cum *Saccharo* haurias, magnum in *Doloribus nephriticis, arthriticis, rheumaticis, colicis, asthmaticis* levamen percipies. *Antiïdêricum* celebre *Gesneri* fuit *Tinctura* illa è *Radice Urticæ majoris* librâ unâ, & *Croci* drachma unâ, invicem probè contulis, cum *Vino albo*, per lenem coctionem extracta, & trium unciarum dosi mane per quatuor aut quinque dies propinata. *Radix Urticæ* cum *Nuce mosch.* & *Croco* in *Aceto* & *Vino* coquitur, atque *Liquor* sic deinceps frequenter calidè in ore detinetur, ad *Gingivas firmandas*, atque *Odontalgiam* sedandam. Alii *Cineres Urticæ* cum *Succo Pomor.* in petiâ ligant, atque inter *Dentes* tenere jubent, ut *Dolor* illorum sedetur. Idem præstare posse autumant *Folia Urticæ recentia* cum *Foliis Ficum* & *Micâ Panis* in *Cataplasmatis* formam redacta, & *Maxillâ* calidè applicata. *Urinam Pueri succo Urticæ permistam*, & *Matrici Ulceratæ* frequentius calidè inspersam mirificè extergere, & ad consolidationem conferre tradit *Forestus*. *Semen Urticæ*, mense *Julio* & *Augusto* collectum, in *Urinâ* ciendâ, *Calculo* movendo, *Sabulo expurgando*, reliquas *Urticæ* partes multum superat, quâcunque demum ratione aut formâ usurpatum. Ex ejusdem dimidiâ uncia cum *Seminis Carthami* drachmâ unâ *Emulsio* ope *Aquæ Urticæ* vel *Hederæ terr.* facta, & cum *Saccharo cand. alb.* hausta *Tussi humorose*, in quâ viscida est admodum pituita, egregiè medetur. Aliàs *Semen cum Pulv. Rad. Liquir. Oculis Cancr. & Sacch. cand. alb.* mistum ad drachmæ unius pondus sæpè dari potest ad *Calculos* ac *Mucum Renum pellendum*, *Dysuriâ*q; corrigendam. *Frid. Hoffmannus* in *Thesaur. Pharm.* ex *Semine Urticæ* & aliis *Aquam* destillare docet contra *Ariduras Membrorum*. Idem *Semen* ad drachmam unam in *Pulvere* aliquoties exhibitum cum *Syrupô Violar.* aut *Papav. alb.* *Pleuritidi* mederi valet.

Dolores nephritici, alique. Icterus.

Dentium mobilitas ac dolor.

Seminis Urticæ Vires. diuretica, lithontriptica.

Tussis.

Aridura.

Pleuritis.

CAPUT III.

Preparata & Composita è Nasturcinis Remedia, cum eorundem usu & effectibus salutaribus.

S. I.

QUæ salutare in corpore humano virtutes & operationes habentus nasturcinis sive antiscorbuticis Plantis adscriptæ fuerunt,

runt, eas omnino præstant variis sub formis, præparatæ aut compositæ. Etenim primò in Acetariis haud infrequenter comedi solent cum Oleo Olivarum, Pipere, Sale & tantillo Aceti. Nasturtium tamen hortense rariùs hoc modo solum usurpatur, propter acrimoniam suam notabilem, sed aliis adhuc Herbis, præprimis Lactuca, Taraxaco, Beccabunga, Cheresolio, aliisque admiscetur, quò sic acredo ejus temperetur. Sisymbrium verò aquaticum, Germanorum Brunnkresse / Ceresolium & Apii hortensis sive selini radix in taleolas dissecta, non secus ac Nasturtii Indici flores aut folia, vel sola, vel cum Beccabunga, Endivia, aliisque, Acetariorum instar tam alimenti quàm medicamenti, digestivum stomachi liquorem volatilifantis, atque sanguinem depurantis loco comeduntur. Folia Piperitidis cruda non rarò etiam cum Carnibus manducantur. Raphani autem marini radici radulâ comminutæ affunditur carneum Jusculum fervens, hinc super carbones ardentes paulisper adhuc decoquitur, additis, si lubet, Succo Citri, Aceto, aut Amygdalis dulcibus rec. excori. & contusis, huicque Embammati dein Carnes intinctæ comeduntur, ac deglutiuntur. Similiter Embamma paratur è Nasturtio aqu. Cochleariâ, Lepidio & aliis, dum foliis eorum contusis aut minutissimè incisis Succus Citri vel Pomorum Aurantiorum aspergitur, atque ita comedendum offertur, palato apprimè gratum, & contra Scorbutum, Apepsiam, Dysorexiam aliosque Affectus efficax. Vel solus Lepidii Succus, aut ejus folia contusa admixto Aceto & Saccharo sufficere possunt ad intingendas Carnes. Apium quoque hortense selinum, atque Cheresolium frequenter apud nos cum Carnibus condimenti loco decoquantur. E Ceresolio autem contuso atque Micâ Panis cum Butyro frictâ, Juscula parari solent, ad varios Morbos commendata, præcipuè verò ad Colicam & Nephritidem, dolores enim leniunt, atque somnum placidum conciliant. Nasturtii Indici folia & flores Lacti, quo Infantum Pulmenta conficiuntur, incoqui possunt, ad præcavendam, vel etiam sanandam eorum Atrophiam atque Phtisim. Nasturtii insuper aquatici minutim concisi manipulo uni subinde Jusculum carniū fervidum affunditur, hincque post aliquantillam moram colitur, ac ita mane & vespere accommodatum per aliquot hebdomadas Scorbuticis, Hydropicis, Hædicis, Ictericis, Asthmaticis, aliisque sorbillandum atque hauriendum offertur.

Acetaria.

Embammata.

Lac anti-hecticum.

Juscula nasturtina.

§. 2. Pulverum formâ Plantarum nostrarum Semina frequent-

Pulveres Se-
minum effi-
caces.

quentius quàm *Radices* in usum trahuntur, sic enim *Semina Nasturtii hortenſis & Apii* ad ʒß. vel ʒij. Adulto pro doſi pluribus vicibus exhibita variis in Affeſtibus, v. gr. *Appetitu proſtrato, Nauſeâ, Vomitu, Nephritide, Tuſſi* &c. egregiam afferunt opem. Ipſe *Pulvis ſtomachicus Birckmanni*, qui tantopere laudatur, longè efficacior foret, ſi talia ſimul *Semina* ipſi adderentur. *Semen* porrò *Nasturtii Pulveribus contra Vermes* commiſcetur, atque ad ʒß. cum *Aquâ Chereſolii* ad diſſolvendos ſanguinis grumos *Lapſis* ex alto multoties exhibetur; quâ ratione etiam mucum *Veficæ* atque *Renum* diſſolvit, & abſtergit. Infantibus autem præbetur ad ʒß. cum *Syrupo ſceletyrbico* ad curandam *Atrophiam* ex obſtructione *Glandularum infimi Ventris* natam. *Saccharo* obducitur hoc *Semen* pro eodem ſcopo, & *apoplecticos Inſultus* arcere creditur, ſæpius maſticatum. *Semen Apii* ſub eadem ſemidrachmâ doſi ſæpius cum *Aquis Chelid. maj. Chereſol. Aronis, Cochlear. &c.* exhibitum, *Apeſſiam* corrigit, nec non *Icterus, Cachexiam & Hydropem* qualemcunque inchoantem diſcutit. *Trifolii fibrini folia* in pulverem contrita, & ad ʒß. ʒj. vel ʒß. frequenter exhibita *Appetitum deficientem* revocant, aliſque Affeſtibus, quorum capite ſuperiori mentio facta eſt, medentur.

Pulvis Tri-
folii fibrini.

Succi Plan-
tarum na-
ſturtinarum.

§. 3. *Succi Plantarum naſturtinarum* frequentiffimè ſimul in uſum trahuntur, è *foliis* aut *radicibus* recentibus expreſſi, hincque vel ſimpliciter filtrati; vel in ollâ incruſtata, aut ampullâ vitreâ intra furnum calentem per trihorium blandè digeſti, poſtea decantati; & nunc per ſe ad uncias duas vel tres pro doſi, quotidie mane ac vesp̄i aſſumti, nunc deſuper hauſto ulterius *Juſculo* qualicunque calente, aut *Sero Lactis*, aut *Vini generoſi* aliquot unciiſ, cum duabus vel tribus guttis *Eſſentiæ Cinnamomi, Caryophyllorum*, aut *Spiritûs Aniſi*, non omiſſo, ſi volupe extiterit, *Saccharo*. Simon Paulli in *Quadrip. Botan.* mavult *Succo Cochleariæ* ſimplici quàm diluto uti, teſtatur enim, ſe ipſum expertum eſſe, *Succum minime dilutum* *Scorbuticis Aegris*, corpore prius ſtudioſè evacuato ac præparato, diligenter propinatum egregiè proſuiſſe. Veremur tamen, ne ſuccus hic aliquoties ita ſumtus maximè ingratus evadat, atque delicatioribus palatiſtium inſigne pariat. Certum interea eſt, *Plantas* noſtras nullâ commodiori quàm *Succi* formâ exhiberi poſſe, cum ita *Sal ipſarum volatile*, in quo potiſſima virtus atque efficacia conſiſtit, optimè conſervetur. Succus verò talis diverſimodè parari

parari solet : & ante omnia quidem ex Herbis recentibus , succulentis, probè mundatis, v. gr. *Nasturtiorum*, *Cochleariæ*, *Le-
pidii*, *Trifolii fibrini*, *Cardamines*, *Chærefolii*, *Apii selini*, *Planta-
ginis acutifoliae*, *latifoliae* & *aquaticæ* &c. incisîs atque probè con-
tulsis, per Linteum vel simpliciter, vel sub prelo, vel inter duos
Orbes ligneos exprimitur; atque cùm multas excrementitias,
crassas, ac terrestres particulas in sese comprehendat, postea sta-
tim antequam in usum vocetur, depuratur. Depurationem au-
tem hanc instituere solemus *nunc* ope simplicis filtrationis per
chartam emporeticam, aut pannum institutâ; *nunc* ope clarifi-
cationis peragendâ cum Albumine Ovi; *nunc* denique per di-
gestionem levem in Vase benè clauso, intra Clibanum seu Fur-
num calentem, quod perficitur intra bihorii vel trihorii spatium,
ubi exemtum postea Vas refrigerari permittitur, dein aperitur,
& succus clarus in superficie natans decantatur, usui asservan-
dus, sedimento crasso, quod fundum petiit, abjecto. Quacun-
que autem ratione paratus fuerit succus, vix ultra bidui spa-
tium, etiam in loco Cellæ frigido asservari incorruptus potest,
hinc ut singulis biduis vel triduis novus paretur necesse est. Sic
ergo nunc ex pluribus simul Herbis, nunc ex unâ alterave solâ
expressus & paratus *Succus* per se, vel cum *Infuso Bolorum Ca-
balli*, vel cum *Jusculo* ad uncias duas aut tres in *Pleuritide*, *hys-
tericâ Passione*, *Tussi*, *Asthmate* cum successu mane ac vesperi
per aliquot dies datur. *IctERICI* verò, *Hydropici*, *Scorbûtici*, *A-
trophici* ex Obstructione Viscerum, *Febribus* item *intermittentibus*
laborantes, præmissis præmittendis maximum levamen sentiunt,
si quotidie mane ac vesp. *Succos* talium *Plantarum* ad aliquot un-
cias pro dosi per se, vel *Saccharo* edulcoratos, vel cum *Jusculo*
Carnium consumato capiant. Qui *Trifolio fibrino* uti non recu-
sant, ii *Manipulum Herbæ rec. concisæ* quotidie mane ac vesp. per
aliquot Hebdomadas continuando sumere, *Jusculum Carni* fer-
vens affundere, per tantillum spatium temporis relinquere, at-
que dein bibere possunt in Affectibus omnibus supra dictis, præ-
primis in *Asthmate humoroso*, in quo aliàs etiam cum *Hydromelite*
permixtus illius Herbæ *Succus* quotidie ad aliquot uncias bibitur.
Nasturtii Indici Succo, vel *Jusculo*, cui infusa sint ejus folia re-
centia, *Phthibici* quoque cum fructu utuntur. Qui *Raphano ru-
sticano* in *Jusculo* uti gestiunt, ii rasam illius radicem ad $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$. mane
& vesp. calenti *Jusculo* immittunt, & hoc dein post aliqualem

Succi præ-
paratio.

Ejus virtus
& usus.

Trifolii fibrini
Succus.

Succus Na-
sturtii Indici.
Raphani
rusticani.

Chærefolii. moram calidè bibunt, sic enim optimè conducit in *Tussi ferinâ* atque *Raucedine* Puerorum & Adultorum, æquè ac in *Appetitu prostrato*. In *Colicâ passione* *Chærefolii Succus* ad aliquot uncias propinatus confert. *Hydropici* cum *Jusculo Cancrorum fluv.* similiter non sine fructu talem *Succum* bibunt. Narratur de hoc *Cærefolii Succo*, quòd, si *Ægrotus* quidam deplorato sui Morbi statu cum hauriat atque retineat, signum id sit certò hominem convaliturum; sin verò minus retineat, significare, ipsum moriturum, vel ægrè pristinam sanitatem recuperaturum esse.

Vina medicata,
per fermentationem.

§. 4. *Vina quoque medicata* non rarò è Plantis nostris parantur, vel cum vel sine *fermentatione*. Hoc posterius fieri poterit, si *Musto claro recenti*, nondum fermentescenti, in dolio probè mundato *folia* vel *radices* earundem *recentes mundas* in magnâ satis quantitate immittas, hinc dolium exactè clausum terræ infodias; inque illâ per aliquot hebdomadas vel menses relinquas; sic habebis dein *Vinum clarum* Plantarum viribus satis imbutum, atque palato non ingratum. Cum *fermentatione* autem paratur *Vinum* idem, si vasi aperto, in quo *Mustum* fermentare debet, Plantæ non in tantâ quantitate induntur, atque hinc fermentescere *Mustum* finitur; verùm hac methodo non tantum *nasturcinæ*, sed aliæ simul Plantæ aut Vegetabilia interdum adhibentur, v. gr. *Absynthium*, *Cinamomum*, *Semina Anisi*, *Feniculi*, *Cortices Aurantiorum*, *Radices Calami aromatici*, aliæve; unde *Vinum* habebitur non solum *antiscorbuticum*, sed insuper *stomachicum*, *cardiacum*, *anticolicum*, *carminativum*, *Hypochondriacis* apprimè utile, si singulis mane, vel in pastu cyathum ejus plenum exhauriant. Alias autem parantur *Vina medicata* per solam infusionem v. gr. *R. Rad. Calam. arom. Caryophyllat. Apii, ana ʒß. Raphani rustic. ʒiij. Herb. rec. Cochlear. Nasturt. aqu. Chærefol. Trifol. fibr. Lepidii, ana Mß. Summ. Abs. sic. pij. Semin. Apii, Fenicul. ana ʒiij. Cinam. opt. ʒij. Cortic. Winteran. ʒj. Inc. & cont. affunde Vini albi veteris Miß. stent per noctem in cineribus calentibus, deinceps mane & vesp. bibatur cyathus. Si Vinum hoc purgante quis vi præditum desideret, tum addere licebit adhuc *Rhabarbari el. ʒß. Fol. Senn. s. s. ʒj. Agar. troch. ʒiij. Salis Fumar. ʒj. Vinum, cui Chærefolium recens per horam fuerit infusum, cum Ocul. Cancr. ppt. ʒß. vel ʒj. ad cyathi unius dosin aliquoties haurtum, in Casu ab alto, Mensibus & Urinâ pellendis est utile.**

Per infusionem.

Infusa.

§. 5. *Infusa talia quoque cum aliis Liquoribus* parantur, v. gr.

v. gr. *Lactē, Cerevisia, Sero Lactis, Aquā fontanā, Acidulis, Ther-
mis fabariensibus*, si nimirum liquores hi calefacti Herbis non-
nihil incisib, recentibus aut ex parte siccis affundantur, atque
sic pro potu ordinario concedantur in *Febribus* qualibuscunque,
*Colicā pass. Ictero, Scorbuticis malis, Cephalalgia, Aphthis, Ajubma-
te, &c.* v. gr. *R. Herb. rec. Fumar. vel Nasturt. aqu. vel Cerefol. &
Plantag. aqu. ana Mj. Semin. Anis. aut Fenic. ʒij. Rad. Liqvir. ʒj.
Incisis assunde Aquæ font. vel Sero Lactis ferventis Miß. sient, donec
Aqua refrigerata sit, Colatura dein pro ordinario potu detur biben-
da.* Frequenter in usu etiam est *Infusum Folior. Trifolii fibrini* Infusum
foliorum
Trifolii fibr.
siccator. cum Aquā fervente paratum, quod instar Infusi Fol. Thee loco Thé.
saccharo edulcoratum calidè ad craticulas aliquot mane ac vesp.
*forbillatur, in Dysorexiā, Dyspepsiā, Ictero flavo, Scorbuto, Hypo-
chondriacā Passione, Cachexiā, Hydroke, Febribus intermitten-
tibus, Asthmate, Obstructione Mensium, Nephritide, Arthritide
vagā & fixā, Hemicraniā, Colicis doloribus, aliisque plurimis
Morbis summè proficuum.*

§. 6. *Decocta* è Plantis nostris parantur rariùs, neque ex Decoct.
omnibus, dum earum Sal volatile sub coctionis torturā in au-
ram statim externam propellitur, hinc *Nasturtia, Cochlearia,
Raphanus rusticanus* ad coctionem non adhibentur. *Trifolium*
autem *fibrinum siccum*, utpote particulis simul scatens fixiori-
bus in decocto tam intus quàm extus usurpatur. Sic & *Apium
hortense* in *Jussculis* decoquitur antiscorbuticā virtute imbuendis.

§. 7. *Cerevisia* dein etiam, & illa quidem bonæ notæ, Cerevisia
medicata.
minimè acefcens, Plantis antiscorbuticis alteratur frequentius,
& cum fructu in pluribus Morbis sæpius allegatis propinatur
illis, qui *Cerevisiam* ordinariè bibunt. Per solam autem in-
fusionem eadem paratur è *Nasturtio, Cochleariā, Raphano rustica-
no, Lepidio* recentibus, si per aliquot dies in eā relinquantur aut
detineantur; per *decoctionem* etiam fit è *Trifolio fibrino, Fu-
mariā, addito Ligno Sassafras vel Sancto*, hæcque in *Arthritide*, ali-
isque morbis chronicis interno usu salutaris existit, ut & in
scorbuticis Crurum Ulceribus fomenti loco extus non sine felici
successu applicari solet. *Hydropicis* verò ac *Scorbuticis* propi-
nari poterit mane ac vesp. talis *Cerevisia* ad cyathum plenum.
In *Arthritide vagā* atque *Scorbuto* addere licet ulterius *Strobilos
Pini, Radices Enulæ, atque Poma Aurantiorum recentia.*

§. 8. *Aquā destillatā* ex Herbis recentibus pluribus simul Aquæ de-
stillatæ:

vel unâ solâ tantum cum affuso earum Succo vel Aquâ aut Vino per MB. eliciuntur. Aqua tamen Cochleariæ vel Nasturtii, simpliciter cum Aquâ communi destillata, evadit ingrata, atque non ita eximiarum virium; si autem cum Vino destilletur, suavior nonnihil ac multo certè efficacior redditur, vires, saporem & odorem Cochleariæ ac Nasturtii acrimoniâ suâ optimè referens, & exhibens. Ita se res habet cum reliquis Plantis nasturcinis, è quibus similiter Aquæ destillari non inefficaces possunt, purificandæ Sanguinis Massæ non minus idoneæ, si per longum tempus quotidie ad dimidiam libram potentur. Sed & è Succis talium recentium Plantarum expressis Aquæ per destillationem elici possunt; Sic enim Cochleariæ Succus Aquam hoc modo satis spirituosam exhibet. Si Aquas cum Vino destillare velis, tum prius incisa Herbarum Folia aut Radices in Vino vel Fœcibus Vini per unum alterumque diem macerabis, ac demum Aquam leni igne è matraccio minimè cupreo, per alembicum prolicies, spirituosam satis & efficacem. Aqua hinc Antiscorbutica composita talis fieri poterit; R. Herb. rec. Nasturt. aqu. Cochlear. Lepidii. Beceabung. Trifol. fibr. Ceresfol. Fumar. ana Mvj. Rad. rec. Apii ℥viij. Raph. rustic. rec. ℥vj. Rad. Zedoar. ℥iss. Sem. Fenic. ℥iv. Incisis & contusis in ollâ terreâ affunde Vinum album vetus ad eminentiam 2. vel 3. digitorum, & per tres pluresve dies digere, postea verò leni igne in MB. destilla, sic Aquam habebis antiscorbuticam nobilem, cujus uncia una vel duæ inservire poterunt pro doii. Timæus à Guldenklee descriptas etiam habet in Oper. Med. Pract. Collectaneis Medicamentorum, Aquas antiscorbuticas, unam quidem calefacientem, cum Rhenano Vino destillatam, alteram verò frigefacientem, cum Sero Lactis caprini è Nasturcinarum Herbarum Succis paratam, utramque non contemnendam.

Aqua anti-
scorbutica
composita.

Aquæ de-
stillatæ Na-
sturtii vires.

Aquæ cum ta-
Vino malva-
tico destil-
latæ.
Virtutes.

§. 9. Aqua destillatâ Nasturtii ab Alexandro Benedicto Oper. Medic. de Affectibus humani corporis morbosis, contra Hæmoptoën, Ictericum, Febres intermittentes, Calculos aliosque morbos laudatur, ad uncias tres pro dosi quotidie semel propinanda. Aqua è Semine Nasturtii, Apii, Feniculi & Anisi cum Vino malvatico vel alio generoso prolecta, ad Ventriculum confortandum, Flatus discutiendos, Colicam sedandam, imò Apoplexiam & Nephritidem præcavendam maximè conducit, si dimidia quadoque, vel integra uncia, cum vel sine Saccharo, potetur. Aqua è Trifolii

Trifolii fibrini succo prolecta non solum in *Scorbuto*, sed etiam in aliis Affectibus mira præstat, à *Willisio* commendatur in *Ophthalmiis* & *Febribus malignis*, quidam porro in *Hemicrania*, *Arthritide vagâ*, *Obstructionibus Mesenterii* &c. eam laudant. Vide *Joh. Franci Histor. Trifol. fibrini*. *Aqua Chærefolii* easdem vires obtinet, quibus ipsam herbam gaudere diximus, sanguinem videlicet coagulatum resolvit, sudorem, urinam, sabulum Renum & Vesicæ non secus ac *Menses* movet, *Pleuriticis* levamen affert. *Aqua Apii selini cum Vino destillata* egregia est, atque præstantis in omnibus toties jam allegatis Morbis efficacix. Ex *Semine Sophie Chirurgorum* cum *Alumine* destillari potest *Aqua ad Ulcera*, qualis in *Chirurgiâ* *Felic. Würtzii* descripta reperitur.

Aqua Trifolii fibrini.

Aqua Chærefolii.

Aqua Apii selini.

Aqua Sophie Chirurgorum traumatica.

Aqua Hippenterorum, sive

Destillatum equinum, aut Hippenterorum.

§. 10. Omnium tamen efficacissima *Aqua* deprehenditur esse illa, quæ ex *Fimo caballino nasturcinis Plantis recentibus succulentis* permixto heic *Basileæ* ferè primùm ante viginti annos destillari, & ab eo tempore in usum multiplicem trahi consuevit, *Destillatum* proin *Hippenterorum* vel *Destillatum equinum* à nobis vocata, quam si cum aliquibus *Schweizer Rosoli Germanicè* nuncupare velis, per nos licebit, ea autem sequenti modo quam optimè heic *Basileæ* paratur: *R. Herb. recent. Nasturt. aqu. Cochlear. Beccabung. Trifol. fibr. Ceresfol. ana ℥ss. Rad. Raphani rusticani, Apii hort. ana rec. ℥vj. Incis. & contusis affunde Aquam vel Vinum ad quant. suff. digere per diem & noctem, dein adde Bolorum Fimi Caball. Avenæ probè nutriti rec. ℥iij. & statim consueto more in Balneo Mar. è Cucurbitâ stannæa vel vitreâ, non autem cupreâ destilla, & Aquam destillatam in Vitris probè clausis ad usum asserva. Quæ hinc, cum diutius vires suas integras non conservet, citò est haurienda ab illis, qui eâ indigere videntur. Quòd si una vel altera illarum Plantarum non suppetat, reliquæ in majori dosi assumi poterunt, ita ut per integri propemodum anni tempus recens *Aqua* hæc destillari & haberi soleat. Substituere quoque licet alias Plantas antiscorbuticas pro lubitu, quæ quidem similibus viribus gaudent. Ita primo Vere *Chelidonium* etiam minus, atque *Ari folia*; alio tempore *Chelidonium majus*, *Apium Macedonicum* sive *Paludapium bortense selinum*, *Plantaginem aquaticam*, *Piperitidem*, *Cardaminem*, *Fumariam*, aut alias efficaces succulentas Herbas jungere licet. Sunt etiam qui ad gratiam *Pomum Aurantiiorum* recens cum *Cortice discissum* *Herbis* destillandis permiscant.*

Aqua vel
Destillati
Hippentero-
rum Vires.

§. 11. Tantarum verò hæc Aqua virium existit, ut omnes solares lunaresque Tincturas, Panaceas omnes, Aura quavis potabilia, sexcenta alia Nugivendulorum, Medicastrorum & Circumforaneorum Arcana, Medicinaeque universales suâ plurimum efficiaciâ superet, atque in difficilibus multis Affectionibus, Morbisque diuturnis saluberrimum effectum præstet. Turget autem illa sive gaudet blando sale volatili sulphureo, naturæ corporis humani amicissimo, penetrante satis, visciditatem sanguineæ Massæ incidente & attenuante, obstructions Viscerum glandulosorum referante, aciditatem humorum edulcorante, acrimoniam qualemcunque demulcente, elasticam denique succorum vitalium energiam, atque tubulorum membranaceo-tendinosorum & nervosorum contractilem vim, sive tonum restituente, stomachici liquoris debilitatam vim corroborante, denique scorbuticam quamvis humoralis massæ intemperiem corrigente. Hinc etiam in omnivariis humani corporis Ægitudinibus felici cum successu usurpatur, modò diligenter quis eam haurire, minimeque fastidire, ac insimul accuratum Dietæ regimen observare voluerit. Dosis ejus est ad uncias duas vel tres mane ac vespere.

Dosis.

Observatio-
nes.

§. 12. Ut autem specialius magis pateant tam celebrati atque efficacis Remedii vires, non è re erit, illas historiis & observationibus quibusdam illustrare, atque confirmare. Ante omnia verò in scenam heic producere liceat insignis famæ atque estimationis Medicum, qui in hac Civitate Praxin jam ultra triginta annos feliciter exercuit; Hic enim cum An. 1693. Augusto mense in Febrim malignam admodum periculosam incidisset, hæcque post elapsam aliquot hebdomadarum spatium, quo nulla morbi solutio & crisis apparebat, in Febrim lentam terminaretur, cum ista per integram subsequutam hyemem conflictari necesse habuit, ita ut ad extremam inde maciem deductus fuerit. Cum autem vernum sequentis anni tempus appropinquasset, atque urgente majore appetitu largius per unam alteramque septimanam alimenta ingessisset, humores procul dubio crudos ac viscidos suo in sanguine, quo tum Venæ in macilentis manibus pedibusque turgabant, Plethoricus aliàs in sano statu existens Vir coacervavit, atque hinc novo insultu febri-li prehensus *Arthritidem* simul *vagam* contraxit, quam in se animadvertens Æger perterritus valde, sibi que imaginatus est, superve-

Arthritis
vaga.

pervenientem hunc novum morbum pro more suo per plures longè menses, sicut in aliis plerisque Ægris, duraturum, molestiasque insuperabiles sibi ex præcedenti malignâ lentæque Febri ultra septem antea menses miserandum in modum vexato creaturum esse. Itaque de novâ quâdam Arthritidi huic medendi ratione sollicitus, quòd institutæ hætenus in tali morbo curationes nimis lentæ atque difficulter etiam homines sanarent, consilium quoque primariorum reliquorum patriæ Civitatis Medicorum implorare constituit; postquam igitur ipsis hunc in finem arcessitis statum suæ ægritudinis miserum prolixè exposuisset, enixè tandem rogavit, ut novum quoddam remedium excogitare dignarentur, quod citò, tutò, & si liceat jucundè massam suam sanguineam viscidam blandissimè penetrare, atque in naturalem fluiditatis balsamicæ statum reducere valeret: proposuit simul ipse remedium blandâ volatilitate præditum, è Fimo caballino præparandum, quasivitque, an crederent aliquam istud efficaciam in suo corpore præstiturum esse, quod aliàs sibi minimè adversum futurum esse pronuntiavit, modò in potabilem formam redigi posset. Inito itaque consilio plura longè volatilia, chymicâ methodo elaborata, commendârunt, utpote penetrantiora longè, ac citiorem Morbi finem promittentia, quàm ex ejusmodi Fimis sine chymica resolutione sperare liceret: regerens autem Æger, talia jam dudum in Arthritide citra notabilem effectum usurpata fuisse, sibi que ulterius videri, illa volatilia chymica ob acrimoniam suam excessivam fortè magis nostro corpori inimica existere, ac disproportionatos motus inter fluida ac solida excitare posse, obtinuit tandem à consultantibus Viris hanc sententiam, posse *Infusum Fimi caballini* cum *Herbis nasturcinis* in *Jusculo* vel *Aquâ* aliquâ *diaphoreticâ* parari, atque ejus tres uncias quotidie mane ac vespere non sine fructu forsitan assumi. Fecit hoc Æger statim, continuavitque per triduum, atque interea sanguinem simul per Venæsectionem in brachio institutam, terque octidui spatio repetitam, ad sex circiter uncias extraxit, albicante viscosâ tenaci crustâ, sicut in Pleuriticis, obtectum. *Infusum* autem mane ac vespere recenter fieri hunc in modum curavit: *R. Bolor fimi caballini numer. 3. Herbæ recent. Nasturt. aquat. Cochlear. Apii selin. Cheresfol. ana p. j. Incisis affunde Aquæ Scabios. ℥iij. Stent per dimidiam horam in loco tepido, postea exprime Succum & unâ vice assume, frustum Sacchari, vel Corticis*

Infusum Hip-
penterorum
admodum
foetidum,

Gorticis Aurant. condit. aut quid aliud jucundum in ore tenendo.
Cum autem *Infusum* istud *Hippenterorum* utcumque valde efficax & excellens, nihilominus non tam sapore, quam odore admodum foetente, totumque cubiculum implente, fastidiosum Ægrotanti & Adstantibus evaderet, destillari curavit *Aquam* supra dictam *Hippenterorum*, eamque per quindecim dies mane ac vespere ad tres uncias bibit, interea *Juscula carnea* quam optima hausit, aliaque bona alimenta, urgente post octidui spatium appetitu assumsit, pro potu ordinario autem *Decoctum Radic. Caryophyllat. Fragar. Filic. Chin. Liquir. Ligni Sassafr. & Semin. Fennic.* bibit; Extus non nisi *lindea calentia, pellesq. felinae & leporinae* membris dolentibus applicata; sudor quandoque spontaneus emanabat, probè dein absterfus, sicque Æger intra viginti dierum spatium à Febri lentà, æquè ac Arthritide vagà fuit liberatus, posteaque Sanitatem perfectam una cum pristino corporis habitu *ισοτάκτω* recuperavit, & ab eo tempore in hunc usque diem per Dei gratiam incolumis mansit. Notandum verò, Ægrotantem hunc per integram hyemem Febriculà lentà decubuisse, totum pallidum mansisse, sed nullà tamen interiorum Viscerum exulceratione aut labe scirrhusà, neque etiam Tussi aut Dyspnœa laborasse.

Pharmacopei Arthritide vagà laborantis curatio felix.

§. 13. Vix praterierunt à felici Medici hujus curatione sex hebdomadæ, cum *Pharmacopœorum* nostratium primarius, valde obesus, pituitoso - viscoso sanguine repletus eodem *vagà Arthritidis* morbo laborare, atque graviter admodum torqueri inciperet. In auxilium hinc vocatus modò sanatus Medicus similem prorsus medendi methodum instituit, dum videlicet primas ante omnia vias injecto, eodemque postea aliquoties repetito Clysmate extersit, hinc Sanguinis missionem ter quoque in hebdomadà ordinavit, ejus octo plus minus uncias è corpore admodum repleto extraxit, dein bis vel ter quotidie *Aquam Hippenterorum sine Vino destillatam* ad tres uncias propinavit, *Juscula* optima, subinde consumata, tantillum etiam *Chærefolio, Apio selino, Petroselino, &c.* alterata singulis quadrihoris exhiberi curavit, atque pro ordinario potu superius *Decoctum* concessit, extus tandem calentia frequenter lindea aut pelles leporinas applicavit, sicque trium septimanarum spatio Virum de salute hominum probè meritum integræ sanitati restituit, adhucdum splendide viventem, sanum atque incolumem.

§. 14. Cum itaque & Medicus & Pharmacopœus novâ hâc medendi ratione citò satis, ac tutò à tam difficili diuturno-
noque aliâ Morbo liberati fuerint, ab eo tempore plurimos alios, cujuscunque conditionis, utriusque etiam Sexûs, ac variâ ætatis Ægros, *Arthritide* eâdem laborantes non minùs feliciter per idem medicamentum curatos ac restitutos esse certi sumus. Imò probè novimus eximîæ dignitatis Virum, qui ante duodecim circiter annos nondum existens quadragenarius *arthriticis* Pedum *Doloribus* excruciarî cœpit, hincque metuens, ne illi jure hæreditario in *Podagram*, sive *Arthritidem fixam periodicam* degenerarent, *Venasectionum* atque *Destillati Hippenterorum* sedulo usu intra mensis spatium adeo feliciter curatus fuit, ut ab eo tempore nihil planè amplius senserit, atque majoris securitatis gratiâ per aliquot annos singulis ferè hebdomadis uncias tres vel quatuor ejusdem *Destillati cum Vino* tum *parati* hauserit, *Dietamq;* insuper satis exactam observaverit; Cum enim in hâc magnum conservandæ sanitatis momentum versetur, mirum nemini videbitur, subinde Arthriticos dari, qui vel tardius curantur, vel recidivam unam alteramque patiuntur, quando sub usu remediorum modò gelidum aërem inspirant, modò gravi mentis pathemati indulgent, modò Vini haustum semel aut aliquoties ingurgitant, modò alios etiam in Victus ratione errores committunt.

Plurimi alii simili morbo afflicti & sanati.

Arthritidis fixæ præservativum.

§. 15. In *Colicâ passione*, sive *flatulenta* ea fuerit, sive *humorosa* aut *convulsiva*, perquam utilis est etiam *Aqua Hippenterorum*, si Adulto quidem tres quotidie uncias mane ac vespere, Adolescenti autem unam cum dimidiâ, vel duas uncias propinaveris, addito, si placuerit, cochleari pleno *Aquæ Pulegii*, vel *Menthæ*, vel *Melissæ* aut *Matricariæ*, cum tantillo *Saccharo*; vel *Elaesaccharo Aurantium*, *Anisi*, *Fœniculi* aut *Carvi*; vel additis interdum simul, non quâlibet vice, granis aliquot *Theriacæ cœlestis*, aut guttulis quibusdam *Essentiæ Opii Liquidæ*.

Aquæ Hippenter. vires in Colicâ quâlibet.

§. 16. In *Peripneumoniâ*, *Pleuro-Peripneumoniâ*, ac *Pleuritide*, sive *spuriâ*, sive *exquisitâ*, *Infusum* quandoque solum *Hippenterorum* cum vel sine *Herbis nasturcinis* in *Aquâ fontanâ*, aut *Scabiosæ*, *Cardui bened.* vel simili factum, expressumque ad tres plus minus uncias pluries exhibitum; vel *Destillatum equinum* ter quotidie ad tres uncias haustum, cum vel sine *Dentis aprini* aut *Mandibulæ Lucii piscis drachmâ dimidiâ*, feliciter admodum

In Pleuritide, Peripneumoniâ.

dolorem pungitivum, viscidam Pleuræ pituitam incidendo ac resolvendo, promtè mitigat, atque Inflammationem discutit.

In Nephritide, Dysuria.

§. 17. In *Nephritide* ac *Dysuria* porrò ad mucum, sabulumque Renum blandè incidendum atque detergendum, sicque diuresin promovendam efficaciter idem *Hippenterorum destillatum* operatur, diligenter per aliquot hebdomadas quotidie dosi supra dictæ haustum.

Hystericâ passione.

§. 18. Ita & *Hystericâ Passione* multoties afflictam probè novimus Fœminam, quæ per Mensis unius spatium *Aquam Hippenterorum* cum *Plantis nasturcinis*, atque *Pulegio* & *Melissâ* destillatam semel quotidie ad ℥ij. circiter, additis aliquot *Essentiæ Castorei* guttulis, verno tempore sumsit, atque subsequente æstate *Balneo mineral.* per tres hebdomadas usa fuit, tantâ cum Euphoriâ, ut postea eam passionem rarissimè & sine ullâ vehementiâ experiretur amplius.

Asthmate & principio Hydropis.

§. 19. Nec dum præterit trimestre, quo Matrona honestissima, annum ætatis 79. jam ingressa, macilenta, propter varias, quibus affligebatur, calamitates domesticas, frequentesque animi commotiones vehementiores, in Febrim incidit continuam, cum oris amarore, siti, anorexiâ, pulsu celeri, frequenti, pectoris anxietate, lassitudine, agrypnâ, urinâ paucâ lixiviosa, atque tantâ respirandi difficultate, ut in Lecto accumbere nesciret, sine metu suffocatione, unde post paucorum dierum intervallum pedes simul intumescere incipiebant, signaque varia instantis Hydropis Pectoris & Ascites sese manifestabant. In hoc itaque casu cum Vomitorium exhibitum, utcunque benè operans, levamen nullum symptomatum procuraret, *Destillatum Hippenterorum* quotidie mane ac vespere ad duas cum dimidiâ uncias additâ semunciâ *Syrupi de 5. Radic.* & injectis simul decem guttulis *Spiritus sal. arm. anis.* fuit propinatum, cujus usu per triduum continuato, jam manifestè symptomata mitigari cœperunt, ita ut in lecto deinceps permanere potuerit: ulterius verò usque ad duodecimum diem assumptum idem remedium omnia symptomata profligavit, ita ut postea, cum appetitus rediisset, solo Tragematis stomachalis, & Infusi fol. Sennæ laxantis usu perfectam sanitatem recuperaverit.

In Ictero, Chlorosi, Cachexiâ, Anasarçâ.

§. 20. In *Ictero*, *Chlorosi*, *Cachexiâ*, *Leucophlegmatiâ* & *Anasarçâ*, post corpus per inferiora debitè aliquoties purgatum, apud multos idem *Destillatum* maximè profuit, per aliquot septi-

manas

manas quotidie bis assumtum, sequenti modo: *R. Destillati equin. cum vino parati ℥ij. Aqu. Fumar. Meliss. Puleg. ana ℥j. Spiritus Cochlear. Tinctur. Antimon. ana ℥j. Sacchari penid. ℥ij. Misc. detur ad Vitr. Dosis uncia dua.* Vidimus hæc methodo curatos, quibus multa alia remedia sine ullo successu exhibita fuerunt.

§. 21. In Febri Lentâ atque Hecticâ, imò & in illâ Corporis dispositione, quæ ad frequentes inclinât Febres ephemerâs & exanthematicas, remedium optimumprehendimus esse Aquam nostram Hippenterorum compositam, aliquamdiu usurpatam, utpote cujus efficacia semper fuit magna in depurandâ totâ Massâ humoralî, expediendis secretionibus, aperiendis vel impediendis Obstructionibus Mesenterii, Pancreatis, Hepatis, Renum, Uteri, quamobrem in Scirrho talium viscerum incipiente, indeque dependente Atrophîâ, non secus atque in omni Lymphæ visciditate felicem perpetim operationem præstitit; dumodo Morbi non fuerint inveterati profundiusque radicati.

In Febri lentâ, Hecticâ, Ephemerâ, Exanthematicâ.

Obstructis visceribus. Scirrhis, Atrophîâ.

§. 22. Scorbuticam præprimis Intemperiem in quamplurimis diuturno istius Aquæ usu, intermixtis tamen etiam Pulveribus absorbentibus, diaphoreticis, edulcorantibus, martialibus, jovialibus, ac similibus, valdè correctam fuisse, talemque postea observatis exactè regulis Diætæ mansisse, probè meminimus; unde in Symptomatibus omnibus à Scorbuto dependentibus egregium quoque levamen affert; quemadmodum sunt Dolores rheumatici variarum partium, Hemicrania, Maculæ & Puslulæ cutaneæ diversi colores, Ephelides, Contracturæ, aliaque.

Intemperie scorbuticâ.

Symptomatibus scorbuticis. Doloribus rheumaticis, aliisque. Anorexiâ, Apepsiâ.

§. 23. Qui de Anorexiâ, Dysorexiâ, Apepsiâ, Dyspepsiâ vel Bradypepsiâ conqueruntur interdum Ægri, non secus atque de Cardialgiâ, & Stomachi gravante dolore, illi verò hæcenus utplurimum ope nostri Destillati sanitatem pristinam recuperârunt, modò per aliquam dierum seriem haurire voluerint.

Cardialgiâ.

§. 24. In Epilepsiâ atque Convulsionibus Puerorum & Adultorum, tam in paroxysmo, quàm extra illum propinata fermentum spasmodicum sæpius destruxit, irritatumque genus nervosum sopire consuevit. In Paroxysmo v. gr. *R. Aquæ Hippenteror. ℥ij. Semperviv. major. ℥vj. Syrup. de Pæon. ℥j. Ungul. Alc. ppt. Diaph. Jovial. ana ℥j. Cinnab. Antim. redif. gr. xv. Misc. d. ad Vitr. exhibeatur sæpius cochleatim.* Si Spasmi fuerint vehementes admodum ac diuturni, tum anodynum quoddam

Epilepsiâ. Convulsionibus.

In Paroxysmo.

addes; v. gr. *R. Aqu. Hippenter. ℥iij. Aqu. Peon. Lavendul. Scabios. Syrup. de Beton. ana ℥vj. Ligu. C. C. succin. Essent. Succin. ana ℥j. Specif. cephal. Michaël ℥℥. Theriac. Cœl. gr. v. Misc. d. ad Vitr. Singulistrihoriis unum vel alterum cochleare plenum exhibeatur, vel R. Destillat. equin. ℥iij. Aqu. Meliss. ℥vj. Sacch. cand. alb. ℥j. Essent. Castor. ℥j. Tinct. Croc. ℥℥. Cinnab. Antim. rectific. Cran. hum. ppt. ana ℥j. Theriac. cœl. gr. iij. Misc. detur ad Vitr.*

Extra Paroxysmum. Exhibeatur cochleatim. Extra paroxysmum *Aqua Hippenterorum* mane ac vespere per longum tempus ad uncias duas cum tantillo Sacchari cand. rubr. granis tribus Salis volatil. puriss. Corn. Cerv. aut Viper. atque Eboris ppt. ℥℥. concedi potest.

In Tussi, Rancedine. §. 25. Novimus & in Tussi, Rancedine, Catarrhisq; pectoralibus lymphæ naturalem consistentiam, crasin, dulcedinem atque motum restituisse *Aquam nostram* ad unciam unam singulis ferè trihoriis cum *Diacodio Montani*, vel *Syrupo de Peto, Injubar, Lichene petraeo*, aliove pectorali haustam, singularem effectum edidisse, citoque satis pristinam sanitatem restituisse.

*Emulsiones
Seminum
Nasturcin.*

§. 26. Ab Aquis destillatis saltum facimus ad *Emulsiones*, quæ non ex integris Plantis nasturcinis, sed ex folis earum v. gr. *Nasturtii bortenensis Seminibus*, cum *Nucleis Amygd. dulc. Seminibusq; frigidis majoribus* affusis *Aquis destillatis Fumar. Scab. Flor. Sambuc. Card. bened. Taraxac. Calendul. parari*, atque admixto simul *Bezoardico mineral. C. C. vel Ebare philos. ppt.* cum tantilla portione Sacchari rosati in *Variolis*, ac *Morbillis*, vel etiam *Vermibus* expellendis cochleatim exhiberi possunt.

Conservæ.

Cochleariæ.

Ejus Vires.

§. 27. *Conservæ* dein etiam conficiuntur è *Foliis, Floribus*, aut *Radicibus recentibus* Plantarum nostrarum, Ita *Conservæ Cochleariæ* fit ex *Foliis viridibus* atque *succulentis* incisis & in mortario lapideo cum pistillo ligneo probè contusis, atque mox cum *Sacchari albi* duplo vel triplo mixtis, intimiusque sociatis. Hæc *Conservæ* commodè iis, monente Simone Paulli in *Quadr. Bot.* exhibetur, qui *Scorbuticis* vitiis obnoxii *Nauseâ* atque *ciborum Fastidio* multum vexantur. *Biliofis* tamen ob saccharum admixtum non adeò convenit: Dosis ejus est ℥℥. vel magnitudo *Nucistæ*, per se vel cum vehiculis convenientibus permixta in *Electuarii* consistentiam. Aliàs si ejus ℥j. sumatur, cum ℥℥. *Pulveris stomach. Birckmanni, Conditur. Cortic. Citri ℥ij.* atque s. q. *Syr. Aurant.* fieri poterit *Electuarium* stomachicum, & simul *antiscurbuticum*, cui pro *Lubitu* aliâ admisceri poterunt; Dosis autem

autem sit Nucistæ magnitudo ter de die. Conserva similiter parari poterit è *Nasturtii Indorum Foliis* aut *Floribus*, æstatis fine collectis, quam cum *Pulvere Foliorum Lichenis petræi* permistam, & quotidie ter vel quater ad drachmæ unius pondus assumtam *Phtisicis* multum profuisse novimus; præsertim si *Juscula* Herbis nostris alterata, atque blandioribus aliis thoracis remediis permista simul in usum tracta fuerint.

Foliorum
Nasturtii
Indici.

S. 28. *Syrupi* è Plantis quoque nostris parantur *antiscele-*
tyrbici non contemnendarum virium, v. gr. *R. Herb. rec. Chæ-*
resol. Nasturt. aqu. ana ℥iij. Cochlear. Trifol. fibr. ana ℥vj. Rad. rec.
Apii hort. ℥iij. Ex incisis atque contusis exprime succum, eumq;
filtratum, vel per subsidentiam clarificatum, aut *Succi Citri ℥iij.*
precipitatum immitte in *Matracium*, ac inde spirituosam partem
super ignem lenem abstrabe, postmodum residuæ parti adde *Sacchari*
albi ℔. ad ℔i℔. & coque ad *Syrupi* consistentiam, cui tandem par-
tem prius abstractam spirituosam admisce, & in vase probè clauso usui
reponere. Vel *R. Herb. rec. Cochlear. Nast. aquat. Beccabung. Borra-*
gin. Urticæ ana q. v. Incide & contunde in *Mortario lapideo* succu-
lenta *Plantarum harum Folia*, hinc exprime succum, quem precipita
aliquot affusis unciiis *Succi Citri*, abstrabe partem spirituosam è *Ca-*
curbitâ vitreâ per alembicum, relictum in ista succum cola, hujusq;
libræ uni adde *℔℔. Sacchari*, coque ad consistentiam ferè *Tabularum*,
cui dein frigesacto adde *Aquam spirituosam* prius prolectam ad consi-
sistentiam *Syrupi*, quem *Syrupum* asservare poteris in vitro clauso, dosis
℥j. plus minus, in *Obstructionibus Pancreatis, Mesenterii, aliorumq;*
Viscerum, nec non *Asthmate, Tussi, Dysorexiâ, Scorbuto, Atrophîâ*
valdè utilem.

Syrupi sce-
lecyrbici.

S. 29. Vivum & vegetum novimus *Bibliopegum, Tigu-*
rinum, nunc *Basileæ* degentem, ante triginta quinque annos,
secundo ætatis flux anno *Atrophîâ* laborantem, cum insigni
Abdominis tumore, minus duro, *Alvi* segnitie, *Tussi* siccâ, vi-
rium magno languore, artubus ferè emaciatis, *Appetitu* adhuc
bono existente, qui ex usu seqq. *Syrupi nasturcini* mense Majo
blandam *Diarrhoeam* impetravit, atque excretâ hinc per plures
dies quantitate insigni mucoso-pituitosi viscidî humoris plene
convaleuit. *R. Herbar. recentium succulentar. Fumar. Trifolii fibr.*
Chelidon. min. Cheresol. Beccabung. ana ℥j. Flor. Bellid. min. ℥ij.
Flor. Aquileg. ℥i℔. Incisas minutim contunde in *Mortario marmo-*
reo, postea *R. Sacchar. optim. ℔j. pond. medic. Aquar. Cheresol.*

Syrupus na-
sturcinus an-
tatrophus.

Fumar. flor. Acac. & Til. ana ℥iij. Solve super ignem in cacabo, soluto ac ferventi adhuc immisce Herbas contusas, ac statim per colum crassum trans mitte, atque Syrupum ita trajectum elaboratumq; in loco frigido asserva, qui saporis erat minimè ingrati, ac mane, vesperi, & noctu ad cochleare plenum Infanti propinatus & exhibitus fuit, felicemque operationem nondum elapsis quinde-cim diebus monstravit.

Syrupus pe-
toralis &
anticatar-
rhalis.

§. 30. Qui Syrupum talem nasturcinum desiderant pecto-
ralem, & anticatarrhalem, sequenti modo parari curabunt: ℞. *Fol. recent. Cardamin. Cochlear. Cheresol. Heder. terr. Erysimi, Nicotia-næ, Pentaphyll. aa. part. æqual.* Incisa contundantur in mortario marmoreo, confestim inde succus exprimatur, ab hoc postea mox spirituosior pars è cucurbita vitrea vel stannea ad suffici-entiam abstrahatur, reliquus in Cucurbita succus mundatus & per colum trajectus, cum æquali quantitate Sacchari ad Tabu-larum consistentiam coquatur, per colum denuo prematur, & postquam ferè refrixit, Spirituosam *Aquam*, prius abstractam à Succo, ei permisce, donec consistentiam Syrupi adquisiverit, qui ter vel pluries quotidie ad cochleare plenum assumi cum fructu potest in *Asthmate, Tussi, Raucedine, Catarrhis, Atrophîa, Febribus lentis, Nephritide, &c.*

Extracta
inertia.

§. 31. *Extracta*, quæ è Plantis antiscorbuticis parantur, languida sunt admodum atque hinc inertia, quia sub inspissatione sal volatile, tanquam nobilior substantia perit; si excipias *Trifolii fibrini Extractum*, quod seq. modo parari poterit: ℞. *Succi Herbx recentis colati, inspissa in Extracti vel Mellaginis, aut Pultis crassioris formam, quæ digitis tacta haud amplius adhæreat, tum in ollâ terreâ obturatâ in loco sicco asserva, pro Pilulis.* *Extractum ex Apii hortensis radice* quoque fieri potest eodem modo. Hac duo *Extracta* vim habent aperiendi, resolvendi, attenuandi, atque hinc in Obstructionibus Viscerum, *Anorexiâ, Dyspnœâ humoro-sâ, Cephalalgîâ*, & similibus affectibus conducunt, ad ℥j. pro dosi frequenter exhibita.

vires.

Spiritus.

§. 32. Omnium verò Medicaminum, è Plantis nostris parari solitorum, efficacissimum censei dicique potest *Spiritus*, utpote qui sale blando volatili, penetrante, plus minus oleoso, naturæ sanguinis nostri amicissimo est imprægnatus. Eliciuntur autem vario modo tales ex Herbis nasturcinis *Spiritus*, per fer-mentationem aut putrefactionem. Ita pro *Spiritu Nasturtii* aut
Cochlea-

Cochlearia per fermentationem obtinendo R. *Herbas Nasturt. aqu.* Per fermentationem.
vel Cochlearia, sive unam solum sive ambas simul, virides atque u-
vidas, succoꝝ, pręgnantes, ad q. suff. eas contunde in mortario mar-
moreo cum pistillo ligneo, dein vas figulinum iais ad dimidium reple,
atque succo proprio vel aqua tepida, in qua tantillum fermenti panis
aut cerevisie solutum sit, irroꝛa, ac sale communi asperge, (probe
tamen heic cavebis, ne calidam affundas aquam, oleum enim sic per-
deres atque operam, atque sal volatile avolaret, cum non nisi proprio
succo fermentari gestiant herbę istę.) Dein vas operculo exacte clau-
de, in locum moderatę frigidum repone, & tamdiu relinque, usque
dum acrior inde exhalet odor, id quod aestivo tempore post duos vel
tres dies contingit, quo animadverso destillatio in Baln. Mar. susci-
pitur per Alembicum non nisi partem tertiam abstrahendo, sic obtine-
bis Spiritum Nasturtii aut Cochlearię, blandum satis, & acrimo-
niã non tantã præditum, hinc ad cochleare integrum exhiben-
dum.

§. 33. *Efficacię gradu sequens longę prævalere notatur,*
citra præviam fermentationem parabilis: R. Herb. Nasturt. aqu. Sine Fermentatione præ-
aut Cochlear. in flore existentis multum succulentę & in mortario gatione præ-
marmoreo contusę q. s. affunde Spiritum Vini simplicem vel Spiritum gatione.
Frumenti ad eminentiam digiti unius, stent per aliquot horas, dein
destilla ex Vesicâ cupreâ, stanno probe obductâ, vel ex Cucurbitâ vi-
treâ, aut stanno Spiritum, qui dein recenti Herbę contusę denuo af-
fundi, de novo destillari sive rectificari, sicq; ad usum asservari po-
terit. Spiritus hic acrimoniã salino-volatili maximę turgens va-
riis in Affectibus, præcipuę autem in Scorbaticâ Sanguinis Intem-
perie, Imbecillitate Ventriculi, Colico dolore, Nephritide, Arthritide,
Asthmate, Hemicraniâ, Tremore atque Palpitatione Cordis, ad gut-
tas 10. 20. l. 30. in convenienti vehiculo magno cum fructu
per plurimos dies exhiberi potest. Mollenbrœk in Cochleariâ
Curiosâ narrat, se aliquando Spiritum Cochlearię tali modo pa-
ratum Nobili cuidam ad minuendam corpulentiam nimiam
ordinasse, atque observasse, illum ab usu hujus Spiritus agilio-
rem longę factum esse. Memoratu dignum existit, de eodem
Cochlearię Spiritu, quod Hippenterorum Destillato permistus effi-
cacius id & penetrantius reddat, atque injucundum ejus saporem
multum corrigat.

§. 34. *E Resinâ Scammonci vel Jalappę cum Spiritu Coch-* Spiritus vel
learię purgans Tinctura extrahitur atque filtratur, rubicundi co- Tinctura
loris, purgans. cochlearię

loris, quæ pro Subjectorum diversitate à guttis 20. ad 30. 40. pluresve cum vehiculo jucundo ad corpus per inferiora purgandum exhiberi, atque hinc nomine *Tincturæ* sive *Spiritus Cochleariæ purgantis* insigniri potest.

Spiritus
Cochleariæ
compositus.

§. 35. Si quis compositum magis & acriorem Spiritum desideret, eum sequenti modo pro lubitu parabit: *R. Herb. rec. Nasturt. aqu. Cochlear. Piperitid. Rad. & Fol. Ari rec. Rad. Raphani ruscican. rec. ana q. v. Incisis & contusis affunde Spiritus Vini q. s. ad eminentiam duorum vel trium digitorum, digere, si placuerit, per diem unum vel alterum in vase clauso, atque dein lento igne destilla, prolectum Spiritum, si à Piperitide, Cochleariâ, reliquisve Herbis adhuc semel eum abstraxeris, longè acriorem atque penetrantiorē acquires; in omnibus Morbis antea descriptis usurpabilem, atque pro re natâ Salī volatili cuicunque oleoso, vel Elixiri propriet. Claud. aut sine acido, Spiritui Salis arm. anisato aut feniculato, Tincturæ Castorei cum Spirit. Sal. armon. parat. aliisque miscibilem.*

Spiritus an-
tinephriticus.

§. 36. Si Spiritum insuper magis antinephriticum, ac diureticum è Plantis nostris paratum quaras, egregium acquirere poteris methodo tali: *R. Rad. rec. Apii selin. Raphani ruscican. Petrosel. Herb. rec. Chærefol. Urtic. urent. Cardamin. Plantag. aquat. Cochlear. Baoc. Alkekeng. Juniper. ana q. v. Inc. & cont. affunde Vinum generosum atque Spiritus Vini parciorem quantitatem; digere per duos vel tres dies, ac dein destilla; Spiritum destillatum à recentibus Plantis pro lubitu abstrahendo rectifica, atque in vitris optimè clausis usui asserva. Dosis est à 20. ad 30. pluresve guttas in vehiculo conveniente bis de die capiendas.*

Spiritus Na-
sturtii per
putrefactionem.

§. 37. Spiritus autem è Nasturtio aqu. per putrefactionem, unâ cum Sale volat. ita acquiritur. *R. Folior. & Summitat. Nasturt. aqu. florentis qu. vis, immitte Cucurbita stannea forti, vel Ollæ terrea, quam duplici vesica arctissime claude, atque sic in Finio equino reconditam tamdiu relinque, donec Herba putrefacta, & pultis consistentiam affecta fuerit, quod intra 3. vel 4. hebdomadarum spatium fieri assolet; dein alembicum vitreum Cucurbita impone, & adjuuge vas recipiens amplum, Juncturas sudiosè obsera, & destilla lento primùm igne, sic ante omnia aqua prodibit, quemadmodum ex aliis quoque Herbis elicitur: postmodum verò sequetur Spiritus, unâ cum Sale volatili sub nebularum albicantium formâ, tandem igne adaucto propellitur. Oleum crassum, nigrum, fetidum, sale volatili imprægnatum, cujus dein rectificati potior pars in Sal volatile conversum*

versum recipienti adhærebit. Hoc volatile Sal vel purum in vitris ærctissimè clausis asservari poterit, vel, quod præstat, in Spiritu proprio solutum, quò sic diutius duret, neque tam citò avolet. Curiosa hæc magis, quàm utilis admodum elaboratio videtur, quoniam ex magnâ Plantæ copiâ parum Spiritus & Salis volatilis obtinetur; hæc verò præparata insigni atque penetrantissimâ virtute gaudent, incidendi, attenuandi, referandi, discutiendi, resolvendi, sudorem denique vel urinam pellendi, ad guttas decem plus minus data.

§. 38. Spiritus, Sal volatile & Oleum è Semine Nasturtii horten-
sensis destillari quoque potest secundum Mauritium Hoffman-
num in Collegii Chymici M. S. Processu 30. sequenti modo: Spiritus, Sal
vol. & Ole-
um è Semine
Nasturtii
hort.
R. Sem. Nasturtii horten-
sensis, à sordibus & capsulis seminalibus libe-
rati & purgati ℥vj. vel q. pl. immitte Retortæ vitreæ, hanc arenæ
imponere, & applicato excipulo mox ignem primò lentum subijce, quem
dein sensim auge, sic phlegma spirituosum guttatim ab initio exstillare
deprehendes, cum sale volatili soluto spiritum constituens, & tandem
Oleum prodibit empyreumaticum, odore penetrantissimo sese diffun-
dens, & facile ~~ætherificans~~ inducens sequetur. Finitâ hâc post quin-
que pluriumve horarum spatium operatione, separa Oleum à Liquore
volatili spirituofo; hunc verò deinceps Cucurbitæ, collo angusto in
longitudinem insignem exporrecto præditæ, infunde, ac ita sub destil-
latione assurgat albicantis roris instar Spiritus & Sal volatile, quod
seorsim sese conspiciendum præbet sub jucundâ imagine arbusculorum
minimorum ramulis infinitis hinc inde expansis luxuriantium, Alem-
bici capitello adhærescens, inde vel statim auferendum, vel in Spiritu
suo proprio solutum relinquendum, hic enim inter destillandum sub-
sequens sal illud solvet, secumq; in excipulum abripiet. Dosis Salis
volatilis sit granor. vj. Spiritus verò ad ℥j. in Affectibus omni-
bus, quorum supra mentionem sæpius fecimus, inprimis au-
tem in Cruditatibus Stomachi & sanguineæ Massæ scorbuticis acido-
viscidis, Mucagine Renum tartareo-salinâ & inde ortâ Dysuriâ vel
Ischuriâ curandâ. Tali modo Sal volatile atque Spiritus ex Se-
mine Cochleariæ, vel Apii, Fumariæ, ut & è Radice Raphani rusti-
canti, aliisque elici ac haberi poterit.

§. 39. Gallorum Eau de Celery, Aqua vel Elixirium Apii Aqua Apii,
& Elixir an-
tischorbuti-
cum.
simplex aut compositum, parabitur è Radicibus recentibus Apii
selini contusis, quibus vel solis, vel si lubebit, cum Cinamomo, Ca-
ryophyllis arom. Macere, Cubebis, Nuce moschatâ, Sem. Anisi aut
Feniculi,

Feniculi, Corticibusq; Citri vel Floribus etiam Acaciarum recentibus sociatis affunditur Spiritus Vini opt. hinc per dies 3. vel 4. reponuntur in vase terreo clauso, atque dein leni igne in M. B. ad tertias destillatur, Spiritum ita prolectum permiscebis cum Aquâ fontanâ, vel Cinamomi, in quâ s. q. Sacchari candidi albi sit soluta, sic obtinebis Aquam Apii cardiacam, stomachicam, carminativam, si ad aliquot cochlearia post pastum quandoque assumatur. Vel simpliciter Aqua destillata spirituosâ, sicuti Apii selini, ita Nasturtii aquatici, Cochlear. Cardamines, Aron. Cherefolii &c. Saccharo cando albo probè edulcorabitur, ac deinceps vel Spiritus Vini genuinus ac probus, vel Spiritus Cerasorum nigrorum sufficienti quantitate permiscebitur, in Scorbuticâ Intemperie, Dyspepsiâ, Apepsiâ, Asthmate, Tussi, Animi Deliquiis, Palpitatione Cordis, Colicâ humorosâ, ac flatulentâ, Nephritide, aliisque Morbis perquam utile Medicamentum, subinde ad Cochleare plenum assumendum.

Essentia
Strobilorum
Pini vel
Abietis.

§. 40. *Essentia Pini vel Abietis* è concisis tenerioribus istarum Arborum rubicundis strobilis vel conulis cum Nasturtii aut Cochleariæ Spiritu per Spiritum Vini facto per digestionem parata, in omnibus Sanguinis impuritatibus, præsertim scorbuticis & arthriticis, uti & in Parhesi sive Contracturâ Artuum egregias habet vires, si ad 20. vel 30. guttas cum Infuso Fol. Chamædr. vel Trifol. fibr. Fumar. Urtic. Betonic. Pyrol. Agrimon. Saccharo, si lubet, edulcorato assumatur. Möllenbroek hanc Essentiam in Tract. de Varis sequenti modo conficiendam tradit, Turiones Pini sylv. vel Abietis in Aquâ fontanâ s. q. per horam unam vel alteram coquendos jubet, Colaturam dein forti expressione factam, ad Extracti consistentiam inspissandam præcipit, è quo dein succo cum Spiritu Cochleariæ digerendo Essentiâ extrahenda, quæ filtrata à gutt. 10. ad 40. pluresve in convenienti vehiculo propinanda.

Oleum de-
stillatum
Cochlea-
riæ &c.

§. 41. *Oleum* è Plantis nostris per destillationem quoque parari potest, curiositatis potius quàm publicæ utilitatis, ob raritatem & caritatem ejus, gratiâ. *Oleum* itaque destillatum, non empyreumaticum, Nasturtii vel Cochleariæ si desideres, fume Herbam florentem sed jam jam in Semen abeuntem, huic contusæ affundæ Aquam fontan. vel Vinum album, digere per diem unum alterumve in vase clauso, dein destilla, prolectus liquor spirituosus novæ Plantæ florenti contusæ affundatur, atque de novo destilletur, hocq; opus aliquoties adhuc repetatur, quo sic tantilla Olei quantitas acquiratur,

quiratur, in superficie, vel etiam in ipso fundo Aquæ hærens, quod secundum artem ab Aquâ separandum. Pilulis verò illud admisceri poterit, vel in conveniente vehiculo ad guttam unam aut alteram pro dosi assumi. Si Aqua Nasturtii aquatici cum Vino prolecta sit, & super recentem Herbam abstracta, tum Oleum quoque ejus in fundo residet, atque liquori ex parte supernabit. Similiter Cochleariæ Aqua ex solo Succo ejus destillata atque semel tantum super recentem Herbam in semen abeuntem rectificata, in Mensurâ unâ vix dimidium, rarius integrum scrupulum Olei exhibebit. Cæterum ex hoc Nasturtii aut Cochleariæ Oleo, dummodo sufficienti quantitate suppeteret, fieri posset Magisterium vel potius Eleosaccharum, si uncia dux pluresve Sacchari albi subtilissimè pulverisati imprægnarentur Olei illius destillati guttulis octo plus minus, ac in formam Rotularum co-
gerentur. Ex hoc Magisterio cum Vino permixto fieri simul pos-
set Vinum Nasturtii vel Cochleariæ, in variis supra dictis Affecti-
bus quotidie in pastu ad uncias quinque vel sex potandum.

Vinum Na-
stureinum.

§. 42. Essentiæ quoque è Plantis nostris parantur vario modo: sic enim è Cochleariâ fieri potest pro iis, qui Succum ejus crudum aut Infusum Foliorum recentium fastidiunt; Sim. Paulli in Quadripart. Botanic. Essentiam liquidam vel Tincturam colore Vinum malvaticum æmulantem Majo mense ita paravit: R. Folior. Cochleariæ rec. q. v. contunde, & succum sub torculari ex iis exprime, eumq; blando calore in vitro optimè clauso desiccatum per chartam bibulam filtra. Hujus dein succi ita clarificati partibus tribus affunde Spiritus Cochleariæ partem unam, digere & lege artis circula, ac tandem Saccharum adde, sic Essentia Cochleariæ parata erit, præstantissima & efficax in pluribus Affectibus scorbuticis, variis liquoribus convenientibus, seu vehiculis diluenda, & ad 30. vel 60. guttas crebrò exhibenda. Tinctura verò antiscorbutica minimè contemnenda ejusdem Celeberr. Viri paratur ex hac Cochleariæ & Trifolii fibrini Essentiâ, æqualibus partibus invicem permistis. Essentia interim vel Spiritus Cochleariæ duplex ex Angliâ ad nos transfertur, quorum alter aquosi coloris ac penetrantis odoris, saporisque maximè acris, cum Spiritu Vini opt. vel Spiritu Frumenti line dubio paratus; alter rubicundus, alvum movens, purgante proin Jalappæ vel Scammonæi Resinâ tinctus; de quibus supra fufius egimus.

Essentiæ na-
stureinæ &
antiscorbu-
tica.

Tinctura an-
tiscorbut.
Sim. Paulli.

§. 43. Tinctura Piperitidis è foliis recentibus Lepidii su-

Tinctura Pi-
peritidis.

perfuſo *Spiritu Vini*, *Spiritu Cochleariæ* vel *Nasturtii*, aut *Aquâ ſpirituofâ Apii ſelini* per digeſtionem paratur, ad *Scorbutum* deſtruendum, *Chyloſin* juvandam, *Obſtructiones Viſcerum glanduloſorum* referandas, *Urinam* pellendam, *Dyſpnœam* corrigendam.

Effentia Tri-
folii fibrini,
ex Herbâ
ſiccâ.

§. 44. *Effentia Trifolii fibrini* confici ſolet ex *Herbâ Trifolii fibrini* ſiccâ & minutim incifâ cum *Spiritu* ejuſdem *Herbæ* ſive per *fermentationem*, ſive per *Spiritus Vini abſtractionem* parato, vel etiam cum *Spiritu Nasturtii* aut *Cochleariæ* affuſo, ubi poſt digeſtionem triduanam expreſſio fit ac filtratio, *Effentia* dein ita facta ad uſum ſervatur, *Spiritus* affundendus acui poterit admixto *Sale Tartari* vel *Nitro fixo*, ut tanto melius penetret. Alius *Effentiam* hanc præparandi modus, iſque pariter excellens, deſcribitur *Ephem. N. C. D. II. Ann. II.* ſequenti ratione: *℞. Folior. Trifolii Fibrini recentium ſucculentorum q. v. contunde ea, & exprime ſuccum, quem Vitro optimè claſſo immitte, & in M. B. vel leni calore defeca, huius Succo depurati partibus tribus affunde unam partem Spiritus ex eâdem Herbâ per fermentationem parati, digere & circula, tum ſi addideris Syrupum ſceletyrbicum, vel Saccharum in Aquâ Cochleariæ vel Cinamomi cum Vino deſtill. ſolutum, Effentiam habebis paratam, cujus doſis erit à ʒij. ad ʒß. plus minus.* Hæc *Effentia* præſtantes obtinet vires in depurandâ circulantium humorum Maſſâ, aliisſque Morbis, in quibus alia ex *Herbis* noſtris parata valent.

Ex herbâ
viridi.

Effentia Ce-
refolii.

§. 45. *Effentia è Chærefol. rec.* cum *Spiritu Apii ſelini* vel *Nasturtii* extracta, ſpecificè laudatur, ad cochleare unum exhibita, in *Colicâ*, *Vertigine*, *Nephritide*, *Palpitatione Cordis*, *Paſſione hystericâ*, pluribusſque aliis Morbis in quibus magnarum eſt virium.

Effentia ab-
ſynthiaca
ſtomachica.

§. 46. *Effentia amara abſynthiaca* ulterius cum *Trifolio fibrino* parari poteſt, *ſtomachica* & *antiſcorbutica* egregia, v. gr. *℞. Summit. Abſynth. Fol. Trifol. fibr. ana Mij. Summit. Centaur. min. Mj. Rad. Zedoar. Calam. arom. ana ʒß. Cortic. Aurant. Citri ana ʒij. Cinam. ʒiij. Caryoph. ʒj. Maceris ʒß. Sem. Anif. Fenic. ana ʒiijß. Salis Tartari ʒj. Inc. & cont. affunde Spiritum Vini rectif. digere per ocliduum, & Effentiam dein filtra: doſis à guttis 10. vel 20. ad ʒo. idque cum vehiculo convenienti in pluribus Morbis hætenus dictis, præcipuè verò efficax eſt ad reſuſcitandum Appetitum languidum, Flatuſque pellendos.*

Elixir anti-
ſcorbuticum.

§. 47. Ita & ſequens *Elixir antiſcorbuticum* felici atque optato

optato cum successu usurpatum à pluribus fuit : *R. Rad. rec. Raphani rustic. Apii selin. ana ʒß. Herb. rec. Nasturt. hortens. & aqu. Cochlear. ana Mj. Piperitid. Trifol. fibr. ana Mj. Summit. Pini ʒiß. Aloës succotr. ʒj. Myrrh. ʒß. Rad. Rhabarb. elect. Zedoar. Galang. ana ʒij. Sem. Fenic. ʒij. Salis Tartari ʒij. Sacch. cand. alb. ʒiij. Inc. & cont. affunde Spiritum Vini rectif. qui prius à Cochleariâ & Nasturtio vel Apio quoque selino abstractus fuerit, ad emin. 3. digitorum, digere per aliquot dies, filtra dein, & usui asserva. Dosis est à ʒj. ad ʒij. in Scorbuto, Symptomatibus scorbuticis, Cachexiâ & Hypochondriaco malo.*

§. 48. *Essentia* porro *Vitrioli Martis antiscorbut.* Cel. Wedelii ex *Vitrioli Martis & Flor. Salis armoniac. martial. partibus anaticis* in s.q. *Spiritus Cochleariæ à Piperitide abstracti digestis & extractis concinnata*, infigne remedium est in *Scorbuto, Cachexiâ, Viscerum obstructione, Hypochondriacâ Passione, Chlorosi &c.* à ʒß. ad ʒij. quotidie mane in conveniente vehiculo per aliquot septimanas exhibitum.

Essentia Vitrioli Martis antiscorbutica Wedelii.

§. 49. Sic denique *Fumaria, Plantago, Cardamine, Urtica*, & quæ sunt reliquæ Plantæ antiscorbuticæ, suas eodem præparandi modo *Essentias, Extracta & Aquas destillatas* exhibent, quibus uti salutariter possumus in *Febribus Synochis, Viscerum Obstructionibus, Scorbuticis Affectibus, Sanguinis dyscrasiis, Variolis, Morbillis*, aliisque pluribus corporis *Ægreditudinibus*.

Essentia, Extracta, Aquæ dest. Fumariæ, Cardamines, Plantag. Urticæ.

CAPUT IV.

Usus Plantarum Nasturcinarum externus, earumq; Noxæ.

§. I.

PPlantarum nasturcinarum Usus internus excipit usus externus, nequaquam & hic contemnendus vel negligendus. Usurpantur enim istæ quoque Plantæ ad varios Corporis humani Affectus externos, & quidem diversis sub formis. Recipiuntur frequenter in *Balnea Aquæ dulcis*, ut eorum virtute penetrante scorbuticum sal fixum per sudorem eliciatur, hinc in *scorbutico Artuum dolore*, in *Membrorum Contracturâ*, in *Maculis quoque scorbuticis, cruciatibus Nephriticis*, Balnea parari poterunt ex *Herbis*

Plantarum nasturc. usus externus.

In Balneis.